

Festo subdit idem Pitiscus, Carnificis loco habitum, qui se vulnerasset, ut moreretur. Ac demum in triumphis Carnificem non procul a triumphante sedisse, ex Zonara colligitur, t. 2. p. 61., qui describens triumphum Furii Camilli, Dictatoris, de Vejentibus triumphantis, ait: *Appensa quoque erat currai nola, & flagellum: quæ innuebant, eum in tantas calamitates posse incidere, ut, aut flagris cæderetur, aut capitis damnaretur. Nam qui ob facinus extremo supplicio afficiebantur, nolas gestare solebant, ne quis, inter eundem, contactu illorum, piculo se obstringeret.*

De Tortoribus nihil Pitiscus in suo Lexico scribit. Ex Calepino tamen habemus, Tortorem fuisse illum, qui, veritatis eruendæ causa, tormenta admovebat. Quod, quoniam hodie Carnificum officium est, factum esse, subdit, ut Tortorem pro Carnifice accipiamus. Cic. pro Clu. *Cum jam Tortor, atque essent tormenta ipsa defessa.* Liv. 10. bell. Maced. *Conspectum Tortoris, verberumque, non sustinuit.* Horat. 3. Ca. Ode 5. *barbatus Tortor.* Tortores, addit, illos quoque fuisse, qui apud nos bombardieri, e balestrieri, dicuntur. Ac tandem ex Amiano asserit, illos esse, qui saxa, aliave tela, ex balista, aliave machina, ejaculantur.

In Evangelio Tortores legimus. Matth. scilicet 18. 34. *Dominus ejus tradidit eum Tortoribus, quoad usque redderet unversum debitum.* Quæ verba explicans Cornelius a Lapide, ait: *Constat ex historiis, & ex jure civili apud Romanos Gentiles, quibus Judei tempore Christi erant subjecti, solere debitores a creditoribus tradi Tortoribus in carcerem tradendos, & verberibus flagellandos; nam primus Constantinus Imperator, ex christiana benignitate, a plumbatarum flagellis debitores absoluit.*